

jam illis alibi receptis *Agendis* utebantur, donec tandem a. 1617. propriis potirentur prelo *Tubingano* vulgatis 4. ut volunt iidem *Autores citt. 3. Fortsetz. §. 38. p. 339. et 2. B. c. 29. p. 211.* Falli autem eos, praefens Codex docet. Nam ad *Austriam* supra *Anasum* eum pertinere primum demonstrat *Titulus*, quem praemisi, dein *Praefatio*, ubi jubentur omnes ex his *Agendis* agnoscere paternam Procerum sollicitudinem, *Irer lieben Obrigkeit der Hochberümpften Landes Stenden — Väterliche fürsorge*; non esse vero Exemplar *Agendorum Tubingae* editorum e sequentibus liquet. *Agenda Tubingana* Capitibus 37. constant; Nostra duntaxat 12. Illa c. 2. de Baptismo praecipunt, Infantis denudatum caput facie prona supra fontem teneri, et aqua ter perfundi; Nostra jubent Infantem nudari, Patrinis caput et manus tenentibus, a Ministro una manu sustentari, altera ter liberaliter aqua perfundi et perspergi. Illa multis agunt de Baptismo Adultorum; Nostra modum aliorum Capitum in hoc non excedunt. Illa c. 12. de Coena Domini nihil meminere vestium sacrarum; Nostra c. 6. habent: *Vnter oder vor dem Veni sancte trette der Priester so das ampt halten sol in seinem gewöhnlichen Kirchenornat für den Altar &c.* quae Sacerdoti catholico dici putes. Extant igitur *Agenda superioris Austriae* Scriptoribus illis ignota, quae, ut ad finem Sec. XVI. per-

tinere arbitror, ita, an unquam typis procusa fuerint, ignoro.

DCCCCI.

Codex membraneus lat. Sec. C. 950 XV. Folior. 122. 8^{vo}. luculente scriptus, auro, coloribusque speciosus, et praeter minores complures Iconibus XIII. majoribus depictis mysteria vitae *Christi* referens, adlatus e Parthenone *Halensi Tyroleos*, ubi *κρημα Ducis Leopoldi* habebatur, quem *Leopoldum IV.* dictum *Superbum*, a. 1411. vivis exemptum censeo, *Horarium* est sequentia complexum: Initia 4. Evangelistarum, Officium de B. V. *Maria*, de Cruce, de S. Spiritu, Psalmos dictos de *Poenitentia* praevia *Icone Goliathi* prostrati, Officium Defunctorum praevio cum amicis *Jobo*, et quorundam Sanctorum Commemorationes. In *Calendario* antecedenti 9. *Maji Translacio sancti nicolai*, 11. *Gengulphi martiris*, 3. *Sept. Mansueti epifopi*, 1. *Oct. Sancti remigi*, 21. *Translacio S. germani*, 23. *Nov. Clementis pape*, et 24. *Crisogoni martiris* *χρυσόγονου* sunt.

DCCCCII.

Codex membraneus lat. Sec. C. 943 XV. Folior. 187. 8^{vo}. luculente scriptus, auri, colorumque ornamentis varius, et Iconibus XI. sacris eleganter depictis admodum speciosus, adlatusque e Parthenone *Halensi Tyroleos*, *Horarium*

Bb 2

rarium est, quod praevio *Calendario* admodum populofo continet Cursum de Trinitate, Antiphonas de B. V. *Maria* et variis Sanctis, Cursum de Passione Domini, duplicem de B. V. *Maria*, Preces pro Communionem, Psalmos de Poenitentia cum Litaniis SS. et Officium Defunctorum, quibus passim insperfae sunt aliae Orationes, et peculiariter ad Sanctos ex Ordine praedicatorum. Codicem adornatum fuisse iussu, et in usus *Eleonorae Lusitanicae Friderici III. Imp. carissimae Conjugis a. 1467.* vivis exemptae, ex eo liquet, quod singulae Icones pientissimam hanc Matronam in genua provolutam exhibeant, parvulo filio *Maximiliano*, quem novennem reliquit, pariter ante Matrem genuflexo, et veluti Deum precari ab ea discente. *Icone I.* Scutum gentilitium Matris et Filii pedibus adstitutum est. *Icone XI.* et ultima sub figura *Christi Judicis* uterque habitu pullo indutus comparet.

In iano claris calidisque cibus potiaris,

Atque decens potus post fercula sit tibi notus &c.

Tum sequitur Institutio de ordinando tempore, praecipue ecclesiastico, Preces cum Formula Confessionis, Symbolum *Athanasio* datum, IV. Evangelia, Passio secundum IV. Evangelistas, Horae de Cruce, de S. Spiritu, de B. V. *Maria*, Psalmi de Poenitentia, contactum frequentem testantes cum Litaniis OO. SS. in quibus S. *Carolus*, et S. *Engratia* virgo, Vigiliae Mortuorum, ali-

DCCCCIII.

Codex membraneus lat. Sec. C. 998 XVI. Folior. 254. 8. min. nitide perscriptus, literis initiorum deauratis et picturatis, et Iconibus LXXVII. a perito artifice decoratus, eque Bibliotheca Collegii S. J. *Neostadiensis* translatus in *Caesareum* fuit olim in pios, et, ut folia quaedam valde adtrita, alia impressam vitrorum ocularium formam retinentia credibile faciunt, pene quotidianos usus *Caroli V. maximi Imperatoris*, quem admodum jam folium ei praetextum testatur, in quo articulus torquis aurei Velleris visitur cum addito: *Plus Oultre. Charles.* Orditur vero a *Calendario*, ubi singulis mensibus tuendae valetudinis praecepta verbis subjuncta sunt, quorum initium:

aeque Preces ad Deum, compluresque Coelites, quarum nulla ita manuum contactu notata est, ut *Oratio ad proprium Angelum fol. 213. p. 2.* Atque ad hanc provolutus in genua comparet *Carolus* juvenili aetate habitu regio coronaque *Hispanica* incinctus, adstitutis hujus Regni Insignibus, ut adeo *Codicem* intra annos 1516—19. scriptum fuisse oporteat. *Fol. demum 252.* ita precatur Deum